

quas meretur, qui regiam nostram contemnit auctoritatem, quam toties laesam esse putabimus, quoties aliquis contra decretum hoc nostrum venire ausus erit, haud^g aliter in cum animadversuri quam in regiae nostrae personae ac dignitatis contemptorem. In cuius rei testimonium haec scribi et sigillo nostro obsignari iussimus. Datum Cracoviae in conventionem generali feria quinta ante dominicam Reminiscere anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono [27 II 1539], regni vero nostri anno trigesimo tertio. Sigismundus rex subscripsit. Relatio venerabilis Samuelis Maczieiowski decani Cracoviensis et Regni Poloniae vicecancellarii.

VI. ^aPRIVILEGIUM TERRAE PLOCENSIS OCCASIONE FIDEIUSSIONIS KMETHONUM LAUDO TERRESTRI^a

^bIn nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, necnon terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Russiae totiusque Prussiae, Masoviae, Culmensis, Elbigensis, Pomeraniaeque etc. dominus et heres significamus tenore praesentium quibus expedit universis et singulis harum notitiam habituris^b, quomodo magnificus et generosi Felix de Srzensko palatinus Plocensis, Mariemburgensis et Plocensis capitaneus, Hieronimus Naquaski tribunus Cziechanoviensis, Roslanus Criski pincerna Zakroczimensis et Paulus Garvaski, nuntii ad conventum generalem Cracoviam^c missi nomine totius nobilitatis illius terrae et palatinatus exhibuerunt coram nobis certas constitutiones et formulas iuxta antiquam consuetudinem in fideiussione mutua kmethonum observatas et deinceps futuris temporibus observaturas, supplicantes, [ut] illas auctoritate nostra regia approbare, ratificare ac^d confirmare ac desuper litteras privilegii nostri perpetui illis concedere dignemur. Quarumquidem constitutionem et formularum articuli sequuntur in tenore suo et sunt tales.

Imprimis cum ipsa libertate nihil sit pretiosus, dignum censi debet, ut etiam communis vulgus^e ea libertate non frustretur. Proinde liberum erit kmethonibus, ortulanis et cuiuscumque status vulgi hominibus de villis spiritualium, religiosorum et saecularium personarum in antes futuris perpetuis temporibus iuxta antiquam consuetudinem recedere a suis dominis, postquam laudo terrestri fideiussi fuerint. Quaequidem fideiussio^f continuabitur singulis annis duabus septimanis dumtaxat ante festum sancti Martini [10 XI] exclusive. Sed quia plerumque evenire solet communem nobilitatem a potentioribus, puta dignitariis, castellanis et aliis praefectis in eiusmodi fideiussione diversis excogitationibus circumveniri excogitatis interdum variis suorum subditorum excessibus, poenis, mulctis et intolerabili subsidiorum onere, verum quia lex divina pariterque et humana suadet, quod tibi displicet, alteri ne feceris, dignum, iustum rationique consonum censi debet, ut si quis ex pauperiori nobilitate apud quemcunque dominum vel dignitarium, cuiuscumque status sit et praeceminentiae, kmethonem, ortulanum vel communis vulgi aliquem hominem laudo terrestri fideiubere voluerit, citra aliquas molestias, odia vel interminationes id sibi facere sit liberum atque arbitrarium. Ne autem fideiussio huiusmodi propter defectum fideiussorum negligentiam ad fideiussionem petenti simulque et detrimentum facere seu praestare videretur, consueverunt enim multi vel motu interminationum vel spe futurorum odiorum causare infinita excusationum genera, modo subterfugere possint ab ipso fideiussionis onere, ut itaque vicissitudo ipsa suum obtineat locum et unumquemque aequali tangeret necessitate, fiat liberum unicuique ex communi nobilitate in defectu fideiussorum per se in propria persona cum solo^g ministeriali simpliciter accepto, nulla additione iuridica expectata, possessorem^h vel advocatum villae aut sortis hereditariae, in qua talis kmetho, colonus vel ortulanus

^g Tak odczytał Piekosiński; odczyt niepewny.

^{a-a} W MK₁, t. 57, k. 16v., tytuł tego aktu brzmi: Constitutiones seu formulae iuxta antiquam consuetudinem in fideiussione kmethonum palatinatus Plocensis observatae, per Maiestatem regiam confirmatae. ^{b-b} W MK₁ zamiast całego tego tekstu: Sigismundus etc., significamus etc. ^c Cracoviensem MK₁. ^d Brak w MK₁. ^e W oryginalne (AGAD, Księgi plockie); wlgus, a poniżej trzykrotnie: wlg. ^f iussio MK₁. ^g solum MK₁. ^h possessorum MK₁.

personali residet residentia accedere peterque talem hominem ad se ire volentem sibi dari ad fideiussionem laudo terrestri consuetam, ponendo se tam principalem quam etiam fideiussorem pro omni laudo terraeⁱ probabili iuxta consuetudinem. Si vero aliquis dominorum dignitariorum aut etiam ex principali nobilitate, cuiuscumque sit status, dignitatis vel praecminentiae, ad fideiussionem modo praemisso fiendam suum subditum mittere recusaverit atque noluerit, talis citatus ad ius terrestre in primo termino tanquam peremptorio, nullis dilationibus etiam pro maiori se defendendo comparere tenebitur, et convictus medio iuramento fideiubentis seu actoris cum attestazione ministerialis terrestris, qui tunc circa fideiussionem aderat, recusans tenebitur et erit astrictus decreto iudicii mediante nulla appellatione se defendendo, talem subditum modo praemisso fideiussum nullis oneribus neque debitis nec etiam censibus neque laudo terrestri obligatum sub poena decem marcarum vallata liberum mittere, quam poenam sub simili poena decem marcarum in eventum non solutionis pro primis terminis certis terrestribus illius districtus, in quo talis fideiussio facta extiterit, decreto iudicii mediante solvere totiens, quotiens in neglectum fuerit, tenebitur, videlicet parti medium et iudicio medium, et nihilominus tenebitur mittere, vero si rursus in loco manere voluerit, tenebitur ratione collusionis solvere poenam unius sexagenae quam *omylna* vocant, prout antiquitus solvebant^l. Et ne^k propter secordiam, sequitiem et perditam communis vulgi licentiam res illorum familiaris negligatur perditumque est, consueverunt enim praeter praegnantem eorum necessitatem a dominis suis verius^l luxu quam inopia coacti infinita prorsus petere subsidia, ut plerumque valor subsidiorum excedit valorem bonorum laici et universae supellectilis, hanc licentiam refrenando tantoque malo remedium imponendo videretur summae necessarium, ne quis dominorum dignitariorum etiam ex universa nobilitate in iuvando subditum seu subditos suos excederent numerum subsidiorum ad mansum octo sexagenas, ad medium mansum quattuor sexagenas, ortulano vero duas sexagenas, nec quoque ultra expressam subsidiorum summam aliquibus poenis onerare. Solent etiam plerique^m possessores subditorum suorum iure Theutonico seu Polonico subditos suos pro eorum excessibus variis afficere poenis et illas per aliquot annos retinere, ut eo facilius praeretur occasio subditum a se ire volentem ad fideiussionem recusare. Cautum itaque fieri docet, ut tempore fideiussionis possessor kmethonis in praesentia fideiussorum vel principalis et ministerialis non plus nominare potest poenarum, quam unico anno, quo talis subditus peteretur ad fideiussionem, alioquin si etiam praeteritorum annorum mittens ad fideiussionem tam coram fideiussoribus, quam etiam iudicialiter meminerit poenas, etiam cum legitima probatione nihilominus fideiubens non tenebitur, nisi de unico respondere anno. Fideiussionem autem huiusmodi generaliter intelligendo et declarando hac lege procedatur, quod videlicet homo seu kmetho cuiuscumque status laudo terrestri fideiussus cum uxore una pariterque et pueris utriusque sexus, etiam cum peccoribus, peccudibus universaque domestica supellectili mitteretur, alioquin retentus aliquis ex pueris hominis fideiussi kmethonis iure et iuramento actoris convictus, quotquot retenti fuerint, pro quolibet illorum poena decem marcarum puniendus erit et in primo termino pro retentione citatus parere et se iuridice iuxta iuris formam modo praemisso iustificare tenebitur. Si vero peccora, pecudes aut aliquid de supellectili domestica retentum extiterit, valor retentorum medio iuramento kmethonis aut ortulani fideiussi solvant cum poenis iudicialibus. Sed quia excogitationes hominum penitus sunt infinitae, tempore enim fideiussionis solent vel hominem fideiubendum abscondere vel etiam carceribus seu vinculis mancipare, itaque si quis tempore fideiussionis allegaverit se de homine fideiubendo nihil scire neque illum habere, talis ad iudicium terrestre citatus mettertius corporali se expurgabit iuramento et nihilominus, si postea talis homo negatus apud suum dominum vel alibi repertus fuerit, ad dominum, qui illum fideiussurus erat, soluto laudo terrestri irrecuse ire tenebitur, recusans vero poenis supradictis suberit. Ut autem ea fideiussio pacifico procedetⁿ modo, cautum fore decet, ut si quis tam dominorum dignitariorum, quam etiam ex principali et communi nobilitate in fideiussores principales vel ministeriales verbis inhonestis et iniuriis vel, quod absit, verberibus irruere ausus fuerit, pro verbis infamatoriis et^o iniuriis iudicialiter convictus poena statuti puniatur, pro vulneribus vero et

ⁱ terrestri [odczyt wątpliwy] MKI. ^j solvebantur MKI. ^k ire MKI. ^l variis MKI. ^m plerumque MKI. ⁿ precederet MKI.
^o Brak w MKI.

verberibus iuxta taxam vulnerum puniatur et nihilominus ratione excessus in poena decem octo sexagenarum iudicialiter convictus condemnabitur, alteram iudicio, alteram parti medietatem solvendam. Consuetudo vero antiqua de restauratione aedificiorum et sarcinorum damnorum, de quibus per protestationem et testificationem iuratorum scabinorum iudicialiter constiterit, in omnibus punctis et clausulis observetur. Si autem ministerialis terrestris cum nobili per eum simpliciter requisitus ratione testimonii ad fideiubendum ire noluerit, convictus medio iuramento actoris officio privetur et inhabilis ad exequendum officium ministeriatus perpetuis temporibus pronuntiabitur, nihilominus ratione excessus faciali cauterio signetur. Consueverunt^p etiam laici ex quacumque levi iniuria, non expectato festo sancti Martini quocumque tempore anni quaerere fideiussiones cum magno detrimento pariterque et ignominia dominorum suorum, itaque de cetero iniuriosae huiusmodi fideiussiones nequaquam locum habeant^q, sintque penitus extinctae, duntaxat semel in anno, prout superius expressum est, fideiussiones peragantur. Et ne fideiussiones laudo terrestri propter non executionem illarum negligantur vel in abusum venire possint^r, necessario erit singulis annis terminos terrestres orthilegiorum celebrari tali ordinatione: primum incipiantur in districtu Plocensi feria secunda post festum sancti Martini proxima et sic deinde successive continuentur in aliis districtibus huius terrae Plocensis, prout termini terrestres procedere solent, conventionem generali minime obstante. Si vero in loco alicuius civitatis vel oppidi, in quibus termini celebrantur, suspecta tempestas pestilentiae intervenerit, nihilominus eosdem terminos orthilegiorum in aliquo loco tuto officium terrestre indicare celebrareque tenebitur. In quibus terminis citati pro non missione ad fideiussionem in primo termino tanquam peremptorio comparere debent seque ad obiecta iustificare nullis exceptionibus, diffugiis, simplici aut vera infirmitatibus etiam pro maiori, neque aliquibus coloribus se defendendo sub poena amissionis kmethonis et^s ortulani et nihilominus iudicium terrestre in contumaciam citati debet actorem remittere ad regale brachium pro executione finali faciendam. Verum quia iure communi cautum esse videtur notarium terrestrem cum camerariis nonnullis articulos in iure communi descriptos cognosci, iudicari, decidi et sentenciari posse, inter quos de kmethonibus non nihil tangere videtur, itaque et articulos superius descriptos idem notarius cum camerariis in terminis orthilegiorum cognoscere sententiareque omnimodam habeat facultatem, iudicis et sub iudicis absentia in aliquo minime obstante.

Nos itaque Sigismundus rex praenominatus supplicationi praedictorum magnifici palatini consilarii nostri et nuntiorum terrestrium benigne annuentes praeinsertas constitutiones seu formulas et articulos eorum in illarum effectu ac punctis et conditionibus approbavimus, ratificamus et confirmavimus ac approbamus, ratificamus et confirmamus hausque litteras privilegii desuper illis concessimus et concedimus praesentibus decernentes illud et omnem constitutionem seu formularum praeinsertarum in illo contentarum seriem robur debitae et perpetuae firmitatis obtinere et non secus, ac si a nobis et consiliariis nostris originaliter constitutae essent, valituram harum testimonio litterarum, quibus ^tsigillum nostrum est praesentibus subappensum. Actum et datum Cracoviae in conventionem generali feria quinta ante dominicam Reminiscere proxima, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono [27 II 1539], regni vero nostri anno trigesimo tertio. Praesentibus reverendis in Christo patribus dominis Petro de Gamratis Cracoviensi, Luca de Gorka Cuiaviensi, Stanislaw Olieschnijezki Posnaniensi, Sebastiano Braniczki Chelmensi episcopis, necnon magnificis, generosis et venerabilibus Ioanne comite in Tharnow castellano Cracoviensi, exercituum regni nostri supremo ac Sandomiriensi capitaneo, Petro Kmitha de Vissnicze Cracoviensi, regni nostri supremo marsalco, Cracoviensi, Scepusiensi, Premislensi et Colensi capitaneo, Petro de Dambrowicza Lublinensi, Radomiensi et Kazimiriensi capitaneo, Felice Srzenski de Sokolowo Plocensi, Marienburgensi capitaneo, Petro de Gorinino Masoviae et capitaneo Cziechanoviensi, Stanislaw de Kuthno Rawensi palatinis, Nicolao Volski Sandomiriensi, serenissimae reginalis maiestatis curiae magistro, Lomzensi, Sanocensi, Wicznensi

^p consueverant *MK1*. ^q habent *MK1*. ^r possit *MK1*. ^s seu *MK1*. ^t *W MK1 tekst brzmi*: in fidem sigillum nostrum est appensum. Datum Cracoviae, feria quinta ante dominicam Reminiscere proxima anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono, regni vero nostri anno trigesimo tertio. Relatio magnifici Pauli de Vola, regni Poloniae cancellarii.

et Lanczkorunensi capitaneo, Ioanne de Thanczin Voiniczensi, curiae nostrae marsalco, Lublinensi et Leloviensi capitaneo, Severino Boner de Balicze Bieczensi zuppario, burgrabio et magno procuratore nostro, Cracoviensi, Bieczensi, Osswieczimensi et Zathoriensi capitaneo, Nicolao Jarand de Brudzewo Lanczicienseni, Bernardo Maczieiovski Lublinensi, Spithcone de Tharnow Radomiensi, regni nostri thesaurario, Siradiensi, Krzepicensi et Krzeschoviensi capitaneo, castellanis, Paulo de Volia regni nostri cancellario, burgrabio Cracoviensi et capitaneo Gosthinensi, Samuele Maczieiowski regni nostri vicecancellario et decano Cracoviensi, Georgio Miskowski archidiacono, Ioanne Vylamowski cantore, Paulo Crassowski Omnium Sanctorum Cracoviae et Varschoviensi praeposito, Cracoviensi, canonicis et secretariis nostris et ceteris dignitariis, officialibus aulicisque nostris, testibus ad praemissa sincere nobis et fidelibus dilectis. Datum per manus praefati magnifici Pauli de Volia regni nostri cancellarii, burgrabii Cracoviensis et capitanei Gosthinensis, sincere et fidelis dilecti. Relatio magnifici Pauli de Volia Regni Poloniae cancellarii¹, burgrabii Cracoviensis et capitanei Gosthinensis. Paulus de Volia R.P. cancellarius subscripsit.

VII. ^aDECLARATIO, QUI NOBILES DEBENT SUSCIPI AD ECCLESIAS CATHEDRALES^a

Sigismundus etc. Manifestum facimus praesentibus litteris nostris universis, ad quorum notitiam pervenerint, quia reverendissimus dominus archiepiscopus Gneznensis et primas ceterique domini episcopi regni nostri in his comitiis nobiscum agentes ad nos detulerunt, nonnullos plebeo ordine genitos, nobilitatis insignia recens a nobis nactos ad maiores ecclesias regni nostri adspirare, ad quas nonnisi ex utroque parente nobili progeniti, nobiles secundum constitutiones regni et ordinationem bullae apostolicae admittuntur¹ resque ad universos ordines regni nostri relata esset instantibus cunctis ordinibus. Nos innitendo veteri consuetudini et constitutionibus regni nostri, necnon ordinationi bullae apostolicae declaravimus et diffinimus praesenti diplomate eos duntaxat censeri esse nobiles et in ecclesiis maioribus loca habere posse, quos regni nostri constitutiones ac bulla apostolica exprimit et qui veteri usu sunt recepti, quippe qui ex utroque parente nobili geniti et more nobilium regni nostri educati, non autem qui recens insignia nobilitatis essent adepti, quibus ad ecclesias maiores ante nunquam patuit aditus. Ad praesens quoque et perpetuis temporibus patere non debet praetextu quorumcunque insigniorum nobilitatis per eos quocunque verborum tenore nactorum quoque ad hoc illis nullatenus sufragantur. Et ita semper observatum fuisse observarique debere futuris temporibus declaramus. Harum testimonio litterarum, quibus in fidem sigillum nostrum est impressum. Actum et datum Cracoviae, in comitiis regni, die Veneris ultima Februarii, anno MDXXXIX [28 II 1539], regni nostri XXXIII. Relatio venerabilis Samuelis Maczieiowski, decani Cracoviensis, Regni Poloniae vicecancellarii^b.

VIII. ^aLITTERAE PRIMARUM ET SECUNDARUM RESTIUM^a

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae^b etc. Generose, nobilis, fidelis dilecte! Etsi in proximis superioribus comitiis decreta fuerat certa pecunia ad conscribendos milites, per quos impetus

^{a-a} *WMRPS*, cz. IV, vol. 3, nr 19610, s. 117, tytuł brzmi: Maiestas regia ad preces archiepiscopi Gnesnensis ceterorumque episcoporum regni declarat tantum nobiles ex utroque parente nobiles progeniti ad ecclesias maiores cathedrales in futurum recipi debere. ^b *Równolegle z formułą relacyjną, po lewej stronie tą samą ręką*: Samuel Maczieiowski d[ecanus] Cra[coviensis] regni Poloniae vicecancellarius.

^{a-a} *Brak tytułu w druku B. Kórn. Natomiast w MRP*, cz. IV, vol. 3, nr 19680, s. 121, tytuł brzmi: Litterae primae restium, quae et secundarum vim habere debent, occasione ingentis hostium apparatus et inde magni periculi missae. ^b *W Dr. następuje jeszcze*: magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et haeres.

¹ Por. wyżej nr XLI, konstytucje sejmu walnego krakowskiego 1531/1532 r., tekst i przypisy 23–25.